

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis
conceptibus moralibus illustratum**

Venegas, Luis

Friburgi Brisgoiae, 1624

Sermo primus

[urn:nbn:de:bsz:31-160454](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160454)



DE ASSUMPTIONE
BEATISSIMAE MARIAE
VIRGINIS.

Sermo Primus.

Pro salutatione Angelica.



Eleberrima fuit illa festiuitas, quam Rex Ezechias ad immolationem agni paschalis instituit in Ierusalem, de qua Sacra Scriptura refert. *Factaque est grandis celebritas in Ierusalem, qualis à diebus Salomonis filii David Regis Israël in ea vrbe non fuerat. Paralip. capite. 30.* Hodiè ergò, charissimi filii, cum gloriosissima semper Virgo Maria ex miserissimo huius sæculi Egypto, confusione ac Babylonia, postquam antiqui serpentis caput confregit, mundanas delicias contempsit, & primæ mulieris damnare parauit, vt immarcessibiles æterna gloriæ coronas ex manu iu-

dicis & sponsi sui capesceret, ad cælestia palatia euolauit. Hodiè exilium pro patria, mortem pro vita, merorem & tristitiam pro gaudiis sempiternis, labores, lachrymas ac molestias huius vitæ perpetuo gaudio, quiete ac tranquillitate commutauit. Tandem Angelicis choris & beatorum spirituum exercitu comitata, paradysum cælestem summâ maiestate & gloriâ penetrauit. Meritò hodiernâ festiuitate verba citata proferre possumus. *Factaque est grandis celebritas in Ierusalem, qualis à diebus Salomonis filii David Regis Israël in ea vrbe non fuerat.* Tâta enim & tam insignis festiuitas in cælesti Ierusalem celebrata est, cum æthereum thalamum

Ff 2 ascendit,

ascendit, vt à diebus, quibus verus Salomon cœlestia regna conscendit, nulla major celebritas, aut cœlestium spirituum comitatus nullo vsquam tempore visus fuerit. Imò nostro iudicio maiori pompâ & solemnitate in cœlesti illa Ierusalem recepta fuit Beatissima Virgo, quàm Christus Redemptor noster. Cùm enim Rex ciuitatem aliquam ingreditur, nobiles tantum ac Principes occurrunt, postea verò cùm Regina ingreditur, non solum nobiles & Principes ei obuiam veniunt, sed etiam ipse Rex vniuersâ aulâ comitatus in occursum procedit. Quis non dicet comitatum istum esse primo solemniozem ac multò celebriorem? nam cùm Christus cœlestia palatia conscendit, à cœlestibus aulicis & principibus receptus fuit: At cùm Beatiss. Maria assumpta fuit, non solum spiritus Angelici, sancti Patriarchæ, & alia sanctorum animæ, sed ipse etiam æternæ gloriæ Rex illius ingressum celebrauit, & si omnes aulæ cœlestis Principes in cœlesti patria ita hodiè exultant, æquum est, vt nos omnes in terra nostra iucundissimis lætitiæ signis exultemus, & vt hoc breui tēporis spatio laudes Beatissimæ Virginis dignè proferamus, illius interuentu gratiam Spiritus Diuini postulemus, dicentes Aue Maria,

* *

Intrauit Iesus in quodam castellum, & mulier quædam Martha nomine &c.

Luc. 10. cap.

CIRCA præsens Euangelium, quod nostra mater Ecclesia in sensu mystico hodiernæ festiuitati accommodauit, licet multa adducere & tractare possem, notatu tamen dignissima est differentia, quam sancti Patres & Doctores Ecclesiæ constituunt inter has duas sorores, Martham & Mariam, duo videlicet virtutum genera, actiuam & contemplatiuam vitam, in quibus sancti, dum in hac lachrymarum valle viuunt, exercentur, vt sic aperte cōspiciamus, quàm diligenter Beatissima Virgo in vtraque vita versata fuerit, & consequenter quàm dignè promerita fuerit præmia, quæ ei hodiè liberali manu à suo Filio conferuntur. Duplex igitur vita in prædictis sororibus demonstratur: In Martha, quæ valdè sollicita fuit erga personam Christi nostri Redemptoris, vt ei cibum pararet, vita actiua significatur; In Maria verò, quæ sedens secus pedes Domini, illius verbum auscultabat, & spiritali quadâ quiete & animi tranquillitate, diuinâ ipsius conuersatione fruebatur, vita contemplatiua representatur; Vtraque vita religiosa & sancta est, ac præcla-

præclaris laudibus extollenda. Contemplatiui, vt à vita contemplatiua exordium sumam, in cœlestibus, & diuinis occupantur, dulcissimis sui charissimi sponsi amplexibus fruuntur, clarissimis oculis illius pulchritudinem intuentur, sui creatoris ardentissimo amore accenduntur, ac tandem, licet in terris morentur, eorū tamen conuersatio in cœlis est. Ita verò his exercitiis delectantur, & erga illa tanto amoris pondere feruntur, tantamquæ suauitatem & dulcedinē diuinus sponsus spargit, vt eius amore inebriati, & extra se cōstituti, post illum currant, vt in canticis canticorum dicitur. *In odorem vnguentorum tuorum curremus. capite. 1.* vt ex vi & efficacia amoris in suū sponsum trāsformentur. Et hæc forsitan ratio erit, quare in canticis anima iusti, qui diuinis cōtemplationibus vacat, *spōsa* nuncupetur. *Quemadmodum enim sponsa dum noui matrimonii amor fervet, nihil nisi de suo sponso cogitat, & vix ab ipso mentis oculos separat: Sic anima iusti diuinis meditationibus dedita, ita sui sponsi amoribus tenetur, vt nihil aliud quærat, & in nullo alio, quàm in suo sponso delectetur, in illum què per amorem ad eum commutatur, vt nihil nisi sponsum sapiat, ad eum modum, quo pomum aureū, quod melle decoratur, aut saccaro conditur, ita saporē mellis & saccari depromit, vt vix aliqualem propriæ naturæ saporem*

retineat: Non dissimiliter anima iusti, quæ continuis contemplationibus de Deo, & cum Deo agit, non peccatoris affectiones, sed Dei ipsius veluti proprietates tenet. Quod vt clariùs exemplis perspiciamus, Apostolum Paulum diuinis contemplationibus, in Deum transformatum, sic de se loquentem, audiamus. *Vivo autē, iam non ego: vivit verò in me Christus. Galat. 2.* Ac si apertius diceret, Charissimi fratres, nō in me antiqui hominis, blasphemi, peccatoris, Ecclesiæ persecutoris affectiones queratis, licet enim modò idem ipse appaream, nō tamen eadem quæ olim, vitā viuo, sed viuit in me Christus, quem plusquam me diligo. Diuinæ cōtemplationes, quibus cum Deo familiariter agebat, ita in Christū eū transformarant, vt non aliā quàm Christi vitā viueret. Sacra Scriptura, cū successionis Adæ mentionem facit, affirmat Deum loco iusti Abel alium filium Seth nomine concessisse Adæ, qui alium genuit Enos nuncupatum, de quo refert Sacra Scriptura, quòd fuit primus qui invocauit nomen Domini. *Iste capit invocare nomen Domini. Genes. 4. cap.* Id est, orationis & contemplationis munus primò exercuit. Aliqui ex antiquioribus Sacræ Scripturæ interpretibus, sic istum locum vertunt. *Iste capit inuocari nomine Dei: Quæ interpretatio vitam contemplatiuam maximè exornat & exaltat, Enos enim*

enim, quia primò orationibus & contemplationibus diuinis vacauit, tam honorifico titulo decorari meruit. Et meritò sanè, quia primò orationis & cõtèplationis munus inuenit, quo non solùm cõtèplantis mens gaudet & delectatur, sed etiam illius voluntas ita amore diuino inflàmatur, vt totus homo in Deum transformetur, & Deus appareat. Verum, licet Maria tantis laudibus digna sit, Martha tamen tantorù meritorum præstantiã splendet, vt ipsi Deus iuxta misericordiã opera, quibus seipsam exercet, cœlorum regnum in vltima residentia promittat. Pro cuius ponderatione Sanctus Petrus Chrysologus super illa verba. *Venite benedicti Patris mei &c. Matthæi 24.* accuratè & acutè obseruauit, Deum pro conferenda gloria, tantùm operum misericordiã, & non aliarum virtutum, in quibus sancti splendidissimè micârunt, mentionem fecisse. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere:* quod maximè actiuam vitam exaltat. Neque enim mortem innocentis Abel in memoriam reuocauit, aut quoddam Noe mundum conseruauerit; vel Abrahami fidem, quoddam Moyses legem tulerit, aut quoddam Petrus primus post Christum crucem ascenderit, sola Marthæ exercitia ante oculos proponit. *Esuriui, & dedistis mihi manducare &c.* Vt apertè constet, quanti **D E V S** vitam actiuam æstimet. Quod

etiã Deus per prophetam his verbis suo populo intimauit. *Hac est requies mea, reficite lassum, & hoc est refrigerium meum. Esai. 28. cap.* Ac si apertius Iraelitis diceret. Vultis- nè manifestè cognoscere, in quo mea recreatio & quies sita sit? *Reficite lassum, hoc est refrigerium meum.* Quibus verbis insinuat, opera misericordiã esse vnum ex præcipuis sacrificiis, quæ magis ipsi placent, & illius furorè contra peccatores efficacius cõprimunt. Cuius indicium est, quia, quoties nostra vulgata varia sacrificia refert, in quib. multa animalia mactabãtur, & igne cõsumebãtur, semper addit *in odore suauitatis*, vt ostendat odorem illorù sacrificiorum summoperè Deo placuisse. Xante Pagninus, & alii in hebræa lingua peritissimi, sic iuxta hebræã versionem prædicta verba vertunt. *In odorem quietis.* Quã versione denotatur, odorem illorum sacrificiorum cor diuinum quietum ac tranquillum reddidisse. Vtitur hinc Sacra Scriptura pulcherrimã metaphorã; Cùm enim aliquis nimiam cholera & irã accensus est, si aromatum aut florum odorem percipiat, suauitate odoris quiescit, & ira paulatim comprimitur ac fugatur; cùm ergò nostra peccata tam malam odorem ex se emittant, ita Deum ad iustam iram & vindictã commouent, vt eum ad actualè punitionè alliciãt & invitent. Erant tamen in lege veteri

veteri aliqua sacrificia destinata ad placandum Deum, quib⁹ peccatores humiliter fatebatur, se esse ppter scelera comissa morte dignos, in cui⁹ significatione super arā cōburebantur animalia, quæ in sacrificiū Deo offerbantur: His sacrificiis, quibus peccatores cor contritum & humiliatū manifestabant, placabatur Deus, & suis misericordie visceribus utens, illis ignoscebat; fumus verò, qui ex illorum animalium combustione emanabat, odor quietis vocabatur, quia per illum cor diuinum irā & furore in peccatores concitatum, quiescebat. Modò verba Elaiæ clariùs intelligentur, *Hæc requies mea, respicite lassum*. Id est, hoc misericordie opus ad vitam actiuam spectans, vnū ex præcipuis sacrificiis est, quo cor diuinum sedatur, & peccatores ad pristinam Dei amicitiam revocantur. Hoc optimè intellexit Diuus Paulus, cū dixit ad Hebræos scribens. *Beneficentia autem, & cōmunionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* cap. 13. In alia versione sic legitur. *Propitiator enim est Deus*. Ac si apertius diceret. Si Deum vobis propitium habere vultis, antiquæ legis cruenta sacrificia omitte, & vobis invicem fraternā charitatem seruantes, benefacite, hæc enim vera sacrificia, holocausta, & hostiæ pacificæ sunt, quibus Deus nobis propitius fit. Neque solum verbis, sed etiam operibus hanc

doctrinam demonstrat Corinthiis Apostolus, quib. latè labores enumerans, subdit hæc verba. *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrū dilatū est.* 2. Cor. 6. Quib. suæ charitatis amplitudinem ostendit, tanta enim erat, vt omnes intra se compræhenderet. Notatu tamen dignissima sūt illa verba. *Os meum patet ad vos, o Corinthii*, quæ maximā Apostoli charitatem erga proximos indicant. Et vtitur elegantissimā metaphorā ad manifestandum ardorem charitatis, quo suus animus æstuabat. *Quemadmodū enim illi, qui nimio calore incensi sunt, aperto & inhiante ore aërem attrahunt, vt refrigerium aliquod experiatur: Ita Apostolus Paulus tanto animorum Zelo, & tam ardenti amore desflagrabit, vt nequē continuum prædicationis officium, nec labores hoc motiuo perpessi, aut carceres, vel reliquæ tribulationes sufficientes fuerint, ad internum amoris ignem extinguendum, vel saltim minuendum. Ided Apostolus Paulus aperto ore incedere videbatur, quo internam & imēnsam salutis animarum sitim manifestabat, vt relata verba insinuant, *Os nostrum patet ad vos*. Non ergò ita Mariā diuinis cōtemplationib. ac cælestib⁹ mysteriis occupatā extollere debem⁹, vt Marthā operib. charitatis, & aliis humanitatis officii circa personā Christi detentā despiciamus, cū Deus Marthæ p operib. imarcescibiles eterne gloriæ glo-*

gloriæ & beatitudinis coronas promittat. Verum silectionem Euâgelicâ attentè perlustremus, manifestè reperiemus, Martham & Mariam sorores germanas fuisse, & consequenter vtraque vita actiua & contemplatiua germanâ coniunctione, in eadem iusti anima inueniri debent: Quia non solum contemplationi, sed etiam actioni, quæ in operibus miseribus misericordiæ elucet, studendum est; licet enim contemplatio, quâ cum Deo familiariter agimus, vitâ actiuâ, quæ circa homines exercetur, altior & eminentior sit, nihilominus tamen actiua vita in præcepto est, contemplatiua verò in consilio, hæc magis voluntaria, illa magis necessaria, hæc magis refrigerat & delectat, illa proximorum salutis magis proficua & vtilis est: Hæc pulcherrima est, sicut Rachel, sterilis tamen sicut Lya, illa licet non tantâ pulchritudine decorata sit, est tamen magis fecunda, & tanquâ altera Lya plures filios operibus misericordiæ genitos quotidie parit. Ecclesiasticus Sanctû virum Oniam & in illo alios viros perfectos laudibus extollens, sic ait, *Sicut oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens in accipiendo ipsum stolam gloriæ.* 50. Cap. Quasi diceret, Ita se gessit Onias in corona gloriæ consequenda, ac si oliua pullulans, & altissimus cypressus foret. Hanc comparisonem Spiritus Diuini, quæ mysteriosa est,

diligenter perpendamus. Nullus est, qui differentiam oliuæ & cypressi non agnoscat: oliua enim licet parua & humilis sit, est tamen arbor fecundissima & vtilissima, è contra verò cypressus arbor sterilis est, sed altissima, quæ duo viris perfectis optime conueniunt. Isti enim contemplationis altitudine cælestia cõscendunt, & vt fratribus suis charitatiuè subueniant, se ipsos deprimunt & humiliant, diuinis meditationibus cum spiritibus Angelicis conuersantur, & operibus charitatis cum hominibus agunt: Nam licet altissima cypressi sint, oliuam etiam paruam & humilem imitantur, ex se misericordiæ oleum emittentes. In Libro Iudicum refertur, quòd Deus tempore quo populus Israel miserrima cuiusdâ tyrani captiuitate tenebatur, quendam virum insignem & doctissimû nomine Aod suscitauit, qui *Vtraque manu pro dextera vtebatur.* Cap. 3. Id est, sinistrâ ac si dexterâ esset. Sanctus Gregorius super istum locum animaduertit, virum istum perfectorum hominum imaginem præse ferre, qui a què bene sinistrâ atque dexterâ vti possunt, hoc est, ita in vita actiua, atq; in contemplatiua versati sunt, æquè in deserto, atque in ciuitate morantur, in solitudine & in honestorum virorum consortio, cum Deo & cum hominibus colloquantur. Sunt planè ambidexteri, inquit Gregorius, vtraq; manu tanquam

tanquã dexterã vtentes, & æqualipõ-
dere in actiua & contemplatiua vi-
ta præstantes. Hanc christianam ve-
ritatem Philofophus moralis libro
2. de finibus assequutus est. cum af-
feruit, ita hominem ad operan-
dum & contemplandum à natvra
institutum esse, sicut equus ad cur-
rendum, & bos ad arandum, &
canis ad indagandum, in quo Dei
immortalis naturã imitatur. Quem-
admodum enim Deus non solum in
proprie essentia contemplatione,
sed etiam in creaturis producendis
& conferuandis occupatur, neque e-
nim purè actiuus, aut contempla-
tiuus est, sed vtrumque munus am-
pectitur: Ita homo, qui inter creatu-
ras materiales expressius Dei natu-
ram imitatur, in vtroque officio ex-
tremus esse debet. Hæc doctrina,
licet omnibus hominibus congruat,
specialiter tamen Evangelicis Do-
ctoribus, prælatiis & pastoribus, qui
curam animarum habent, siue Eccle-
siastici, siue seculares sint, competere
debet, ipsis Prophetã Dauid his verbis
loquitur. *Si dormiatis inter medios cle-
ros, penna columba deargentata: &
posteriora dorsi eius in pallore auri*
Psal. 67. Ac si apertius eis diceret. Vul-
tisne, vt Ecclesia vobis commissa
tanquam speciosissima colüba pen-
nis per fidẽ deargentatis, & per cha-
ritatem deauratis, illa sæ semper con-
teruetur? hoc igitur medio conse-
quemini. *Si dormiatis inter medios*

cleros, hoc est, *inter duas sortes, siue*
vt S. Hieronymus vertit, *inter medios*
terminos, caelestia scilicet & tempo-
ralia. Qui ergò animarum pastor
est, ita contemplationibus in cæ-
lestibus commorari debet, vt ter-
renam ovium curam non negli-
gat, & ita circa suum ovile occupa-
ri debet, vt propter illud Deum
non omitat; quandoque mentis
oculis pulchritudinem diuinam in-
tueri potest, quãdoque verò corpo-
reis ovium necessitatib; prospicere &
providere tenetur; modò caelesti cõ-
centu & suavissimã musicã. quã spõ-
sus contemplatiuorũ animos de-
lectat, recreari & gaudere, potest,
postea verò balatus ovium. quã for-
sitam præ corporea & spirituli fa-
me lacescunt & pereunt auscul-
tare debet: Iam diuinis colloquiis
dulciss. aliquamdiu detineri potest,
deinde verò sibilosã prædicatio-
nis convocare tenetur, ne forsi-
tam extra virtutis caulam inter vs-
pres & spinas remorentur. Tan-
dem aliquando caelesti contempla-
tionis cibo pasci potest, postea ve-
rò doctrinã contemplatã verbo &
exemplo suum gregem pascere te-
netur. Cum ergò Ecclesiã pastores
sic inceserint, sibi certò persuade-
ant, *Penna colüba deargentata*, quòd
anima ipsi commissa pulcherrimã
columbẽ erunt, penni per fidem
deargentatis, exornatã, & fulgen-
tissimo charitatis auro splendidissimè

Gg

mi-

micabant. Ad cuius maiorem comprobationē Christū nostrum saluatorem, qui totius sanctitatis exemplar fuit, in nocte passionis orantem contemplerur, qui, licet suo æterno Patri preces funderet, non tamen suas oves, tres scilicet discipulos, quos secum habebat, neglexit, oratione enim finitā eos visitans, de periculo, in quo versabantur, admonuit, qui cū iterum contemplationi & orationi incumberet, post eam secundo eos visitauit, & admonuit vt vigilarent & orarent, nè forsitan in tentationem aliquam inciderent. Tandē toties, quoties flexis sanctissimis genibus orauit, suos discipulos visitauit, hoc sanē motiuo, vt prælati innotesceret, Deum non esse propter oves deserendū, neq; è contra, sed inter duos terminos & sortes mediam viam esse tenendam, ita vt Martha & Maria per vitæ actiuæ & contemplatiuæ exercitium, summā charitate, in eadē iusti anima cōnectantur. Iam tempus oratio postulat, vt diligenter examinemus, qualiter hæc duo Martha & Mariæ officia in Beatissima Virgine cōvenerint. Nullus tamen erit tam hebeti ingenio præditus, qui nõ clarè perspiciat, quomodo Sanctissima Maria multò meliùs, quàm Martha Christum receperit. Quia Martha in domum suam, Maria verò Sanctissima intra propria viscera recepit; Martha brevi temporis spatio, Maria verò sa-

cratissima per nouem menses suo vtero cōcluserit, imò vsque ad crucem & sepulchrum comitata est. Martha externo cibo, & forsitan in foro empto Christum invitauit, & hospitio excepit, Maria verò Sanctissima nõ pretiosè, externo alimento, sed proprio lacte ex suis purissimis vberibus expresso aluit ac sustentauit. Martha sollicita fuit in cibis cōdendis, vt honestè talem hospitem tractaret, Maria verò de fuga in Egyptū sollicita fuit, vt dulcissimum infantem à furore & tyrannide Herodis liberaret. Martha in domesticis negotiis circa frequens ministerium turbata fuit; Maria sacratissima in grauioribus negotiis turbata fuit; Quia suum filiū in custodiā missum, ad columnam ligatum, sputo & saluiis defædatum, verberibus exceptum, ac tandem cruci affixum contempexit. Ex quibus omnibus apertè constat multò meliùs Beatissimam Virginem officium Martha exercuisse, imò & in charitatis operibus erga personam Christi, superasse. Nequè solū charitatis officia, in quibus vita actiuā splendet, erga suum filiū exercuit, sed etiā erga pauperes, in quibus dulcis, Iesus illi representabatur, interno pietatis affectu & operibus ducebatur. Ad propositum Nizephorus Callistus vir grauissimus, quem tota Ecclesia magni æstimat, quia aliquas veritates in lucem eruit, quæ iam ppetuæ obliuioni traditæ

tradite erant, libr. 2. Historie Eccle-
 stasticæ cap. 21, refert; Beatissimam
 Mariam in die sui transitus omni-
 bus Apostolis, qui speciali miraculo
 in vnū conuenerant, comitatam, su-
 per humilem & pauperem lectum
 iacuisse, quæ Euangelistam Ioannem
 ad se vocans, ipsi & aliis præcepit,
 vt duas tunicas, quas tanquam cœ-
 lestes omnium suarum diuitiarum
 thesauros relinquebat, vicinis vi-
 duis, quæ cum illa speciali amore &
 deuotione egerant, donarent. Mar-
 tha ergo fuit sacratissima Virgo, cū
 etiam sui sanctissimi transitus tem-
 pore misericordiæ opera exercuerit.
 Quis verò humanā linguā explicare
 poterit, quā benè & exactè sacra-
 tissima Virgo Mariæ Magdalenzæ of-
 ficiū præstiterit? Christi verba, iu-
 xta illius pedes sedens, auscultauerit,
 & in sua sanctissima anima ho-
 spitio exceperit? Sanctus Augusti-
 nus loquens de Beatissima Virgine,
 sic ait. *Materna propinquitas nihil
 Mariæ profuisset, nisi feliciter in corde
 quā in carne gestasset.* Quibus verbis
 insinuat Sanctus Augustinus, Mari-
 am sanctissimā potiùs animā, quā
 corpore, nostro Saluatori hospitium
 præbuisse. Quod vt meliùs intelli-
 gatur, illas virtutes designare libet,
 quæ nostras animas præparant, vt
 in dignas Dei habitationes destinen-
 tur. Prima est fides viuua per charita-
 tem formata, de qua dicit Aposto-
 lus Paulus. *Christum habitare per
 fidem in cordibus nostris Ephes. 3. cap.*

Hæc in eminentissimo gradu in Be-
 atissima Virgine reperta fuit, vt
 constat ex verbis Elisabeth; inter a-
 lias enim prærogatiuas, quas in ipsa
 laudauit, præcipuè fidem extulit.
*Beata qua credidisti, quoniam perfici-
 entur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.
 Luc. 1. cap.* Castitas etiam dignam
 habitationem Deo præparat, idèd
 Sanctus Laurentius tyranno dixit.
*Castè & piè viuentes templum sunt
 Spiritus Sancti.* In quo igitur præ-
 stantiori modo castitas enituit at-
 què in Beatissima Virgine? De hac
 inquit Simeon Methaphrastes, i-
 psam fuisse primam, quæ votum ca-
 stitatis emisit, propter quam cau-
 sam Virgo virginum nuncupari me-
 ruit. Præterea humilitas honestis-
 simum hospitium Deo exhibet, vt
 Pater Diuin⁹ per Isaiam indicauit.
*Ad quem autem respiciam, nisi ad pau-
 perculū & contritum Spiritu cap. 66.*
 Quis autè tam humilis extitit sicut
 sacratissima Maria? Hæc etiam in-
 finitā matris Dei dignitate decorata,
 nihilominus se tantū ancillam
 Domini fassa est, *Ecce ancilla Domi-
 ni &c.* Deinde charitas hæc præro-
 gatiuā inter cæteras virtutes splen-
 det, idèd de charitate specialiter di-
 xit Euangelista Ioannes. *Deus chari-
 tas est. 1. cap. 4.* quia per charitatē ani-
 mam iusti peculiari quadam ratio-
 ne inhabitat. Quis tamen tantam
 charitatem habuit sicut Maria san-
 ctissima? quæ cū gratiā plenā ex-
 titisset, plenā etiā extitit charitate,

quia iuxta gratiæ mensuram & pondus, charitas nobis confertur: Ita Maria sanctiss. non solum Christum vt Deum; sed etiam vt Filium vnigenitum dilexit, in quo & gratuitus charitatis amor, & naturalis splenduit. Tãdem sanctitas & puritas conscientiæ animam exornant, vt mundissima Dei habitatio existat, vt insinuauit Propheta Dauid *Domum tuam Domine decet sanctitudo, in longitudinem dierũ. ps. 92.* Quæ ergo maior sanctitas & conscientiæ puritas in aliqua pura creatura excogitari potest, quam illa, quæ in Beatissima Maria splendidissimè micuit? siquidem nunquam nec vnus venialis peccati cogitationem admisit, idè Sanctus Augustinus dicebat. *O Mater Dei, sicut in prima fœmina abundauit delictum, ita in te superabundauit gratia; & idè super omnes ignara delicti eras.* Sed quare in huius rei comprobatione detineor? Omnes planè virtutes animam Mariæ sanctiss. exornant, vt cælestis spõsi thalamus existat. Quid enim deesse poterit illi, quã Æternus Pater in filiam, Filius in matrem, & Spiritus Sanctus in charissimam spõsam acceptat? quã Spiritus Angelici & cælestes virtutes Reginã & Dominam, ac omnes creaturæ rationales tanquam supremam imperatricem agnoscunt & venerantur? Antiquissimus Dositius affirmat, olim fuisse virginem quandam pulcherrimam à Diis maximè dilectam, quam vnus-

quisque singularibus donis ditauit; Pallas ei sapientiam contulit, Venus pulchritudinem, Apollo musicam, Mercurius eloquentiam impertitus est, & idè hęc virgo Pandora nuncupata est, id est, ab omnib. Diis donata, vel ditata, quia ab eis peculiaribus donis ditata fuit. Ista verò licet figmenta pœtica sint, accuratè tamen sanctiss. Virginis magnitudinem explicant, ipsa enim à tribus diuinis personis excellentissima dona recepit; à Patre Diuino eximiam & singularem fortitudinem, à Filio intellectus illustrationem ad cælestia profundis penetranda, & à Spiritu Diuino ardentissimam charitatem, vt sic Spiritus Diuini, & totius sanctiss. Trinitatis templum ingentibus diuitiis ditaretur. Beatissima igitur Maria non solum corporaliter, sicut Martha, Christum hospitio excepit, sed præcipuè sicut Maria Magdalena, spiritualiter corde & animo honestissimam habitationem præparauit. Si tam fideliter officium Marthæ & Mariæ præstitit, & vtramque vitam actiuam & contemplatiuam eminentissimo modo complexa est, quibus præmiis hodierna suæ assumptionis luce in cælestibus palatiis à supremo indice coronabitur? Quis, inquit Bernardus, saltim cogitare poterit, quæ gloria & maiestate ex hoc sæculo ad cælestia gaudia euolauit? Qua deuotione & affectu ei æthereus equitatus occurrit? Quibus læ-

bus lætitiæ signis Spiritus Angelici interna gaudia manifestarunt? Cùm Dei matrem & cœlorum Reginam suarum virtutum præmia capescen-
tem conspexerunt? Quo gaudio sanctæ virgines exultarunt, vbi Virginum Reginam viderunt? Quid de confessoribus proferam, cùm suæ vitæ & totius sanctitatis exemplar propriis oculis cernerent? Quid de martyribus, cùm suorū laborū ac passio-
num comitem & plusquam martyrem intuerentur? Quid de Prophetis, cùm omnia quæ de ipsa diuino Spiritu prædixerāt, ad amissim impleta cōspicerent? Quid tandem de Patriarchis dicam, cùm gloriam, pompam, & maiestatem considerarent, qua eorum filia à ciuibus cœlestibus in beatorum patria recepta est? Vix verbis exprimi potest, quibus laudum canticis cœlorum Regina suum regnum occupauit. Quando fortissima Judith, postquam Holofernem generalem ducem Assyriorum decapitauit, & Iudaicum populum libera-
uit, iterum in ciuitatem reuersa est, omnes ciues, seniores & sacerdotes, illi fortitudinem extollentes, his vocibus ei occurrerunt. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificètia populi nostri &c. Judith cap. 15.* Eisdem & iucundioribus lætitiæ canticis cœlestes illi aulici Mariæ sanctiss, eorū ciuitate ingredienti in occursum venerunt. *Tu lætitia Israël &c.* cùm non solum Bethulię ciues, sed totū genus

humanum à dura dæmōis seruitute medio nostro Salvatore Iesu Christo liberauerit; Præstantioribus sanè & gloriosioribus titulis ab aulicis patriæ cœlestis, quàm Judith recepta fuit. Tu lætitia Israël, nostræ reparationis causa, vitæ inuentrix; Tu nostræ salutis mater, stella Iacob, ex qua radius splendidissimus ortus est, quo totus orbis illustratus fuit; Tu Spiritus Diuini templum, in quo per nouem menses vniuersa hominum salus commorata est: Tu thronus Salomonis, illius domus Regia, Regis cœlorum thalamus, vbi suam magnificentiam ostentauit: Tu hortus conclusus & fons signatus, quod soli sponso cœlesti patuit. Tu gloria Israël, & lætitia cœlestis Ierusalem, totius populi & omnium beatorum honorificètia; Idè in vera gaudia ingredi, & thronum à tuo vnigenito filio tantā pompā & magnificentiā præparatum occupa. Talibus titulis ac laudum canticis Virgo sanctissima siderea palatia occupauit. Magno, pinde gaudio, lætitia, stupore & admiratione beati circumfusi fuerunt, eam intuentes, in quam spem suam collocauerant, de qua tot ac tanta prædixerant, & quæ tanta bona mundo attulerat. Ad cuius ponderationem animaduersione dignissimum est id, quod Vbertinus author grauis de Dionysio Areopagita Apostoli Pauli discipulo refert, tanto enim desiderio videndi Beatissimam

Virginem ante illius obitum tenebatur, vt hac de causa relicta Græciâ in Iudæam ad Euangelistâ Ioannem venerit, ab illo instanter petiit, vt sibi eam dignaretur ostendere, quæ à sanctissima Trinitate in matrè Dei electa fuerat. Sanctus Euangelista Ioannes, vt Dionysii desiderium impleteret, eum secum ducens, in cubiculum, vbi sanctissima Virgo morabatur, introduxit, vbi eam immensâ claritate & splendore, ac Angelis stipatam conspiciens, illius maiestatem & pulchritudinem admirans, præ stupore & admiratione extra se, & quasi mortuus in terram corruit, & postea ad se reuersus, sic exclamavit, Si ex ratione naturali, & ex diuina fide mihi non cõstaret, aliam esse Deitatem & Diuinitatem, a pertè faterer non aliam esse Deitatem, nisi hanc, quæ in Maria sacratissima relucet. Si ergò Angelorum Regina, cùm adhuc esset in carne mortali, tantam sui admiratiõem causauit, quãtam ad dexteram sui vnigeniti filii sedens, immenso gloriæ splendore circumdatâ, excitabit? Si aliquibus spiritibus Angelicis comitata diuinum Dionysium in tantam admirationem rapuit, quid, quæso, accidet, cùm nouem Angelorum choris stipata sit? Id non verbis exprimi, sed solâ mente considerari potest. Sed aliquis vestrùm forsitan dicet, nostram concionem potiùs ad Mariæ sanctissimæ gloriã extollendam, &

ad caelestium ciuium gaudia exponenda, quàm ad nostram vtilitatem, qui à caelestibus deliciis peregrinamur, spectare. Quid nobis Beatissimæ Virginis assumptio pdest? Multum sanè, charissimi filii: Quemadmodum enim ascensio nostri Saluatoris ad ætherea regna, maximè nobis profuit, vt mediatorem apud Patrem haberemus: Ita etiam multùm nostra interest, quòd Regina Angelorum ad cœlestia regna tantâ gloriâ & maiestate assumpta fuerit, vt aduocatam apud ipsius vnigenitum filium habeamus, vt sicut Christus Redemptor noster ostium & mediũ est, per quod apud Patrem nostra negotia expedienda sunt: Ita etiam ipsa ianua sit, vt cum filio nostræ salutis negotia expediãtur. Deinde cùm Maria sanctissima mater misericordiæ sit, pro nobis semper intercedit, & cùm etiam æterni iudicis mater existat, omnia quæ postulat, impetrabit. Quomodo Christus sanctissimæ matri aliquid denegabit, quam ex toto corde dilexit? Plutarchus & Valerius de illo illustrissimo viro Coriolano referunt, quòd, cùm Populus Romanus solâ inuidiã ductus Coriolanum ad Bloscos, qui Romanis infensissimi hostes erant, in exilium misissent, ab illis hilariter & benignè acceptus, & sui exercitus generalis dux creatus fuit; Coriolanus verò non immemor iniuriæ sibi à Romanis illatæ, integrum & potentissimum

tissimum exercitum Romam duxit, & hac intentione & animi deliberatione obsedit, vt funditus everteret, nec lapidem super lapidem relinqueret. Romani ergò ad vltimas angustias redacti, præcipuos & illustriores illius reipublicæ viros, tanquam legatos ad ipsum miserunt, vt humiliter ab eo peterent, ne vltiori obsidionem continuaret, sed nil penitus impetrârunt. Iterum Romani suos Sacerdotes pontificacibus indutos vestibus transmittût, frustra tamen, quia Coriolanum à suo primo proposito dimouere non potuerunt; timebat senatus, populus tremebat, viri & mulieres mortem iam imminentem, ac vltimam patriæ devastationem deplorabant. Cæterum Beturia matrona Romana nobilissima & Coriolani mater, castra Blofcorum accessit, quam cum filius conspexisset, ad eam apertis brachiis accurrit: Beturia verò minacibus ac iratis oculis eum intuita, sic alloquuta est. Priusquam Coriolane in nostros amplexus & oscula ruas, parumper expecta, à te enim scire vellem, an tanquã ad meum filium, vel tanquam inimicum accedam, an tanquam captiua, vel mater te conueniam; Ad tantas angustias & extremã miseriam in extrema & infelici mea senectute revocanda eram? primò enim te Romã exulem, modò verò illius capitalem hostem conspicio. Quo animo & consilio Romam,

vbi genitus & procreatus es, demolire ac deuastare totis viribus conaris? Quæ verba cum fletu & lachrymis admixta, ita ad animum illustris viri emolliendũ efficacia fuerût, vt matrẽ dulcissimẽ amplexans, sic exclamauerit. Vicisti Roma, vicisti Coriolanum: Propter huius preces, quæ me nouem mensibus suo vtero gestauit, etiam si magno supplicio ac crudeli devastatiõe digna fores, tibi ignoscam. Si ergò Coriolanus gentilis sine vera Dei cognitione, tantã pietate ergã suã matrem ferebatur, maiori sanè Christus erga suam sanctissimam Matrem ducetur. Et si Beturia irati filii animum ita emollire & comouere potuit, vt veniam pro Romanis, qui eum tam grauius in honore læserant, facillè impetrauerit; potiori iure Maria Sanctissima suum charissimũ filium eò adducere poterit, vt erga peccatores suæ misericordiæ viscera manifestet. Quid si Beturiæ rationes tantã elegantia & efficaciam proposita fuerunt, vt ea, quæ nec legati, nec Sacerdotes pontificiis vestibus ornati obtinere potuerunt, consequuta sint; maiori planè efficaciam & elegantiam verborum ea, quæ nec Apostoli, Martyres, confessores, Patriarchæ, Prophetæ, virgines, & Spiritus Angelici impetrare queunt, Maria Sanctiss, obtinebit. Non dubito quin illius rationes tantæ efficaciam ad veniam pro peccatorib, impetrãdam sint, vt Deus vi illarũ allec-

fic

sic exclamare cogatur. Vicistis peccatores, iustam vindictam, & meum contra vos furorem compressistis, & etiam si aeternis suppliciis propter vestra scelera digni sitis, propter huius tamen preces & patrocinium, quae me noue mensib. in suo utero gestauit, & quae vestra advocata in beatitudine existit, lubenti animo ignosco, & ad meam amicitiam reuoco, ut in hac vita mea gratiam participes effecti, in futura aeterna gloria perfruamini, quam mihi & vobis prestare dignetur Iesus Christus Amen.



Sermo secundus.

PRO SALVTATIONE Angelica.

Evangeliū, quod ab Ecclesia hodierna assumptionis festiuitate proponitur, liber alter Ezechielis est; qui, ut refertur cap. 3. illius Prophetiae exterius pulcher erat, & intra optimis characteribus illustratus fuit, quem cum comedisset Sanctus Propheta Ezechiel, mellis dulcedinem & saporem expertus est. Ita in presenti Evangelio contingit, historia enim illius optima & verissima, ac pulcherrime ab Evan-

gelista descripta est, internè tamen profundissima mysteria latent mellem planè dulciora & sapidiora, quae ut in lucem eruamus, gratiam Spiritus Diuini Mariae Sanctissimae interuentu postulemus, dicendo Ave Maria.

Intrauit Iesus in quodam castellum &c. Luc. 10. cap.

Optimo sanè iure nostra mater Ecclesia tantam solemnitate, & letitiam ac iucunditatis signis assumptionem Beatissimae Mariae celebrat, festum quidem, in quo tria celeberrima festa continentur. Hodie enim eius sacratissimae mortis dies in omnium fidelium memoriam reuocatur, cum illa anima sanctissima à corpore, templo & sacratio Spiritus Diuini separata fuit. Celebramus etiam illius exequias & funeralem pompam, quam Apostoli peculiari miraculo ex diversis mundi partibus conuenientes exhibuerunt, & gloriosam eius resurrectionem, quando anima iterum corpori, cum quo tam fideliter & dulciter convixerat, unita fuit. Tandem hodiernam luce admirabilis eius assumptionis mentionem facimus, cum Maria sanctissima, corpore & anima vniuersam curiam caelesti comitata, super omnes choros Ange-